



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvartum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus X. De natis ex libero ventre.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74533)

aqua, & quamdiu vixerit, semper aliquid pœniteat: mittere eam, si ante cum consensu amborum conjuncti sint: si vero dimiserit eam, & aliam ducit similiter quoque & mulier pœniteat, si aliter fecerit. Si quis liber ancillam, aut suam, aut alterius uxorem, sive ancillam, sive liberam, ut supra in matrimonio acceperit, non habet licentiam di- scriptum est, pœniteat.

TITULUS X.

De natis ex libero ventre.

CAPUT I.

(a) Gregorius Anthemio Subdiacono.

Non solum frequentibus præceptionibus, sed etiam præsentem te sapius monuisse me memini, ut illic vice nostra non tantum pro utilitatibus ecclesiasticis, quantum pro sublevandis (b) pauperum necessitatibus fungeris, & eos magis cujuslibet oppressionibus vindicares. Præsentium ergo lator Gaudiosius insinuavit nobis ab (c) actoribus sanctæ Romanæ, cui Deo auctore præsidemus, Ecclesiæ, sibi violentiam irrogari, asserens, quod filios suos viri prædictæ Ecclesiæ velint vindicare. Oblatis etenim ab eo documentis agnovimus, Siricam uxorem præsentium portitoris ab Ecia, quondam gloriosæ memoria Morenæ cuidam foeminae titulo donationis fuisse largitam, & ab eadem Morena per (d) epistolam manumissam: & ided indecens esse credimus, ut progeniti ex libera muliere filii ad servitium retrahantur. Propterea experientia tuæ præsentis auctoritate præcipimus, ut his ipsis documentis, sicut & nos didicimus, exuto à curis animo diligenter intendat, quatenus si documenta nulla sunt ab Ecclesiæ parte, quæ documentis hujus hominis debeant obviare, ab ejus se molestia sine aliqua retractione suspendat. Durum enim est, ut si alii pro mercede sua libertates tribuunt, ab Ecclesiâ, quam tueri has oportuerat, revocentur. Iterum ergo atque iterum experientiam tuam necessariò submonemus, ut illic, si quæ inter pauperes, & Romanam Ecclesiâ sanctam quaestiones vertuntur, omni mentis integritate discutiat, sicque patrimoniales utilitates peragat, ut à benignitate justitia non recedat.

NOTÆ.

(a) **Gregorius.**] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. unic. & apud Ivonem Carnot. part. 16. cap. 73. & reperitur textus hic inter epistolas ipsius Sancti, lib. 1. in dict. 9. epistol. 53. ex quo registro integram hujus textus transcribo, & præsentem inscriptionem exposui in cap. 2. de constit.

(b) **Pauperum necessitatibus.**] Quod proprium erat officium defensoris, ut probavi in capite.

(c) **Actoribus.**] De quorum officio egi in cap. 1.

(d) **Per epistolam.**] Variæ fuerunt apud Romanos manumissionum formæ, quas post Institutos in §. multis, Instit. de libert. referunt Cuelar. integro trat. de manumiss. Brissonius lib. 1. select. cap. 11. Aldus Mancinus lib. 1. epistol. epist. ad Franciscum Alciatum, Marcel. Donatus in dilucid. ad Suetonium in Augusto, cap. 40. Avendanno de metu lib. 2. cap. 34. nos in c. 1. de serv. non ordin. & non ex omnibus æquè perfecta libertas sequebatur, nam tantum manumissi vindicta, aut testamento cives Romani efficiebantur, & justam libertatem assequi dicebantur, l. generaliter 29. ff. qui & à quibus, l. 1. ff. si quis testamento, l. 11. ff. ut

in possessionem legat. l. 16. in fine, ff. ad Trebel. l. cum quasi 30. §. ultimo, ff. de fideicommiss. liberi. l. 2. eod. tit. Paulus lib. 4. sentent. tit. 12. §. multis, Connanus lib. 2. comment. cap. 6. Brissonius & Calvinus verbo *falsa libertas*: & manumissus uno ex tribus modis, respectu Latinorum & dedititorum liber dicebatur, Cicero lib. 1. in Topicis, ibi: *Qui nec vindicta, nec testamento, nec censu manumissus est, liber non est.* Manumissio autem vindicta nomen accepit, ut alii dicunt, à Venditio Vitellorum servo, qui civitatem prodicione liberavit erepturam, qui adversus Romanos conjunctionem patefecit, & publicè à Romanis manumissus est; in præmium scilicet (ut ait Livius lib. 2.) libertas, & civitas data est, & ille primus dicitur vindicta liberatus: qua de re est elegans textus in l. 2. §. initium, ff. de origin. juris: & inde illud Claudiani in 4. de consularu Honorii: *Deductum vindicæ mor em lex celebrat.* Cujac. tit. C. de vindict. manumis. Connanus lib. 2. comm. cap. 6. Gothofred. in notis ad Ulpian. tit. de libertis. §. vindicta; quod aded ab Interpretibus tritum est, ut necesse non sit plura alia cumulare. Alii ex eo dictam manumissionem vindicta asserunt, quòd licet virgulam servo manumittendo im-

Manumif-
sionum
modi.

imponeret. Perlius: *Vi vindicta postquam meus a Pratore recessit.* Et paulo post: *Non in festuca lictor, quam gestus inani.* Boëtius in topicis, Plutarch. de sera numinis vindicta, l. 2. ff. de manumiss. vindict. ob quod hæc libertas imponi dicitur, testamentaria verò relinquitur; l. unic. §. penult. C. de communi serv. manum. ubi notavit Cujac. unde dicitur, vindictam imponere in l. apud 14. ff. de manumiss. cum vulgatis & adductis à Gothofr. in notis ad Ulpianum in fragmentis, tit. de libertis, §. vindicta, à Brissonio & Calvino, verbo *Vindicta*. Erant etiam in hac manumissione certa & solennia verba concepta ad eam peragendam. Severinus Boëtius apud Ciceronem, quæ verò fuerint illa solennia, & vulgaria verba, ex Constantini Harmenopuli diffinitione colligamus, quam refert Fornerius lib. 1. select. cap. 5. *Vindicta*, inquit, *virga est, quâ Magistratus, vel Prætor, Consul, vel Proconsul, ante quos poterat celebrari* (ut Ulpianus docet in fragm. tit. de libertis, §. 7.) *caput ejus, qui manumittebatur, percussus, dicebat: Hunc ego hominem liberum esse ajo, & civem Romanum, ut observarunt Carolus Sigonius lib. 1. de antiquo jure Roman. cap. 1. & Demsterus ad Rosinum lib. 1. cap. 20. Gothofredus ad l. manumiss. 23. ff. de manumiss. vindict. Brissionius lib. 1. select. cap. 11. unde exponendus est Paulus lib. 4. sentent. tit. 12. ubi affirmat, mutum & surdum, servum vindicta liberare non posse, quia videlicet fari verba manumissionis non poterat; postea tamen consensu populi hæc solennis formula oblitterata fuit, ut probat Fornerius ubi supra. *Censu manumittebantur olim* (ut Ulpianus in fragmentis, tit. de libertis, §. 8.) *qui lustrali censu jussu dominorum inter cives Romanos censum profitebantur.* Rectè dixit olim, quia jam Ulpiani temporibus in defuerunt hæc abilit manumissio, ejus tamen meminit Cajus lib. 1. Instit. tit. 1. §. *Civis Romanus*, & illustrant eum manumissionis modum Sigonius d. lib. 1. c. 6. Demsterus ad Rosinum lib. 1. antiquit. cap. 20. Mercerus lib. 1. opinionum; cap. 1. Concilius lib. 2. successiv. cap. 9. Revardus de authorit. prudent. cap. 6. Osvaldus ad Donel. lib. 2. cap. 15. Testamento etiam libertas dabatur, vel directa, vel fideicommissaria. Directa, cum à testatore directò dabatur, nullo expectato hæredis facto, de qua in tit. de manumiss. testam. Fideicommissaria, quæ ab hærede præstatur, de qua in tit. ff. de fideicommiss. libert. utriusque effectus recensent Petrus Faber lib. 2. semestr. cap. 19. Osvaldus ad Donel. lib. 2. comment. cap. 14. littera A. Cujac. ad tit. C. de testam. manumiss.*

2.
De libert.
Quiritia
& Latina.

Haec tamen egimus de modis, quibus plena libertas assequeretur: referamus nunc modos, quibus manumissio minorem libertatem consequeretur; & quidem inter amicos, aut per epistolam manumissio, Latini fiebant, id est in libertate morabantur, & decedebant ut servi, donec aliquo ex modis relatis ab Ulpiano in fragmentis, tit. de Latinis, Quiritiam libertatem assequerentur. Hujus libertatis Latine mentio extat in l. qui absenti 38. ff. d. acquir. posses. quo in textu præterquam quod agitur de manumissione per epistolam, usitur

Consultus verbis illis, in libertate morari, quæ sunt propria Latinorum: cujus locutionis vestigia nonnulla sunt in Pandectis, in l. 4. C. de fideicommiss. libert. l. cum quasi 30. ult. ff. eod. l. ordinata 24. §. penult. ff. de liberal. causa: notarunt Cujac. ad tit. C. de fideicommiss. libert. Gifaninus ibidem. Etiam libertas Latina contingebat ex manumissione inter amicos, de qua Seneca lib. de vita beata; ibi: *Fussa libertatis, an libertatis data inter amicos, quæ est libertas Latina: vel in convivio, cujus manumissionis meminereunt Cajus ubi supra, Justinianus in §. ult. de libertin.* Item quotiesquaque Dominus sinebat servum se gerere pro libero, libertas Latina contingebat: exempla plura adduxit Meril. lib. 4. obs. cap. 14. & inde intelligendus est textus in l. ordinata 24. §. si quis actiones, ff. de liberal. caus. Latini ergo in ultimo vitæ spiritu libertatem cum servitute commutabant, decedebantque tanquam servi, ut scribit eleganter Salvianus lib. 3. de Eccles. carbol. ibi: *fugo Latinae libertatis, quo scilicet jubent quedam sub titulo libertorum agere viventes, sed quæ superstitibus habent, morientes donare non possunt: scilicet quia moriuntur ut servi, §. ult. Instit. de success. libert. l. 8. C. Theodos. de liberali causa, l. 1. C. Theodos. de petit. hæredit. l. 2. C. Theodos. ad SC. Claudianum: plura Cujac. ad tit. C. de Latin. libert. Superest ut de minima libertate, & de dedititiorum statu agamus. Et in dedititiorum numero habebantur illi, ut Ulpianus ait in fragm. tit. 1. §. 11. qui penæ causâ vinciti erant à domino, quibus vestigia inscripta fuerunt, vel ut alii legunt, stygma; qui ob id stygmatici, litterati, & inulti vocantur, isti enim ferro candenti in fronte notabantur, & tradebantur, ut cum bestiis pugnarent, vel in carcere conicerentur. l. unic. C. de dedititia libertate. l. fratres, ff. de penis; & ita toto vitæ tempore servituti erant obnoxii, tantumque morte absolvebantur. Unde constat, libertinorum triplicem statum fuisse. Primus eorum, qui plenam libertatem assequerentur, qui & testamentum facere, & testamento acquirere poterant. Secundus Latinorum, qui iterum manumitti, aut aliquo ex modis relatis ab Ulpiano, civitatem Romanam assequi poterant. Tertius dedititiorum, qui nullo juris remedio civitatem Romanam assequi valebant, de quibus, & de prædictis manumissionum modis, plura tradunt Alciatus lib. 1. paradox. cap. 14. Brissionius lib. 2. select. cap. 9. Tiraquel. in l. si unquam, verbo *Libertus*, n. 123. C. de revocandis donat. Panciroli lib. 2. variar. c. 271. Connanus lib. 2. comment. c. 6. Raguellus in d. l. unic. C. de dedititia libert. ubi etiam Cujac. & ad tit. C. de vindict. manumiss. & lib. 5. obs. cap. 13. Demsterus ad Rosinum lib. 1. antiq. c. 19. Revardus lib. 4. variar. cap. 9. & de authorit. Prudentum, cap. 7. Donel. lib. 2. comment. cap. 14. ubi Osvaldus, Cuellar. integr. lib. de manumiss. Witenbach. disp. 8. n. 20. Perdoctam repetitionem ad hunc textum scripsit Alfonso Benitez Complutensis Professor, & ejus commentarium dedi in cap. fin. de serv. non ordin.*